





DISPUTATIO JURIDICA

De

JUDICIIS,

Quam,

TRINUNO BENEDICENTE,

CONSENSU ET AUTORITATE NOBILISSIMI  
JCTORUM ORDINIS IN ILLUSTRISSIMA  
LIPSIENSI ACADEMIA

SVB PRÆSIDIO

VIRI

*Magnifici, Nobilissimi, ac Consultissimi*

DN. QVIRINI SCHACHERI,

Jcti & Antecessoris Celeberrimi, Electoral. Saxon.

Judicii Appellat. Consilarii Gravissimi, Consistorii Eccles.

Lipf. Assessoris Dignissimi, & Juridicæ Facultat.

Senioris Meritissimi,

Dn. Præceptoris, Patroni ac Promotoris sui æviternum  
devenendi

*Publico Eruditorum Examine submittit*

TOBIAS BORRMAN / VVitteberg. Sax.

Autor & Respond.

In Auditorio Jctorum Petrino

*Addiem 21. Junii*

Anno cIo Ioc LX.

LIPSIAE,

Literis RITZSCHIANIS.

*Tom. 1. p. 18*



VIRIS

*Magnificis, Nobilissimis, Amplissimis ac  
Consuleisimis,*

Dn. BENEDICTO CARPZOVIO, Jcto  
incomparabili, Potentissimo Saxon. Electori à  
Consiliis intimis.

Dn. AUGUSTO CARPZOVIO, Jcto  
Excellentissimo, Sereniss. Principis ac Domini,  
DN. FRIDERICI WILHELMI, Duc. Sax. Jul.  
Cliv. ac Mont. &c. Consiliario Intimo, & Can-  
cellario Eminentissimo.

Dn. HENRICO à CAUSBRUCH/  
Hæreditario in Meuselwitz / Thierbach &  
Schnauderhänichen.

Dn. MAURITIO CARPZOVIO, Here-  
ditario in Pratau / &c. Salinatori apud Hallen-  
ses Primario.

Dominis, Mecœnatibus, Patronis & Pro-  
motoribus suis optimis - maximis sanctè  
venerandis

*Hocce Exercitium*

In sui suorumq; studiorum commendatio-  
nem perennem

*humiliter & devotè*

*offert ac consecrat*

TOBIAS Borman/  
Aut. & Resp.



TRINUNO BENEDICENTE!

## PRÆFATIO.



**T**ertium Juris Præceptum & Jurisprudentiæ finem: Suum cuique tribuere *pr. §. 3. Inst. de J. & J. §. l. Justitia 10. ff. eod. maxime per Judicia, quæ sunt vera ac viva Juris & Justitiæ Exercitia, Dn. Habn in obs. Theor. Pract. ad Parat. Wesenb. tit. de Jud. exerceri atque obtineri, nemo profectò ibit inficias. Etenim summa Reipubl. tuitio de stirpe Legum veniens *pr. l. un. C. de Justin. Cod. conf. in ipsis posita est judiciis. Hinc etiam in Recess. Imper. dicitur: Von Gericht und Recht entsteht alle Einigkeit und Friede. R. A. in Augsp. An. 1530. Quando enim suum cuique tribuitur, nemo habet, de quo queratur, sed pax & concordia existant, necesse est. Et inde quoque utilitas materiæ de Judiciis adeò patescit, ut ipsa ullâ commendatione haud indigeat, sed juxta Ictum Ulpianum *in l. 1. ff. de Rest. in int. ipsamet sese satis ostendat. De hac itaque perutili materiâ animum induximus disserere. Ut autem certum ordinem, qui, secundum Baldum, est modus agendi, sine quo nihil rectè agitur, & quò sine qui procedit, equum per caudam frenare dicitur. Waremund. ab Ehrenb. de Fæder. lib. 1, c. 1. n. 147. observemus, Idcirco sequentia proponemus: 1. Judiciorum Etymologiam. 2. Homonymiam. 3. Synonymiam. 4. Definitionem. 5. Originem. 6. Divisionem. 7. Causam Efficientem. 8. Materiam. 9. Formam. 10. Finem. 11. Effecta. 12. Adjacentia. 13. Affinia & denique, 14. Contraria. Trinunus benedicat!***

A 2

THE-

THESIS I.

**C**Um Res per verba significantur, §. *si quis 9. Inst. de Legat. l. 10. C. de Ingen. manum.* allubescit nobis, antequam, quæ in ipsis Rerum argumentis obtinent, persequamur, prius Definitionem perlustrare Nominale n. Usu enim vocis, dicente Scaligero 1. *Exercit. 1.* cognitio, sæpè in perceptionem ipsius Rei provehimur. Et nisi homines conveniant in significatione Nominum, non potest de Rebus inter eos esse Disputatio. *Matth. Steph. de Jditt. lib. 1. c. 1.* Hoc ipsum quoque *Ulpianus in l. 1. ff. de J. & J.* præcipere videtur, dum ait: Juri operam daturum, prius nosse oportet, unde Nomen Juris descendat. Constat autem Nominalis Definitio tribus Membris: Etymologiâ videl., Homonymiâ & Synonymiâ.

II. Etymologiam Judicii quod attinet, declinat illud ipsum *Varro lib. 5. de Lat. Ling.* à Jure & dicendo. *Isidorus verò in c. Forus 10. X. de V. S.* putat dici quasi Jurisdictio. Et *Cujac. ad Rubr. X. de Judic.* quasi Juridicium, ubi, quod dicitur, Jure dici debet. *Cassiodor. 11. var. 9.* Cui horum adstipulemur, non adeo multum refert, nec Hippocliidi hoc curæ est. Cum Res eodem cadat.

III. Sequitur Homonymia seu Æquivocatio. Quæ sanè quàm latissimè hic se diffundit. Sed nos potissimas saltem significationes recensebimus. Et 1. quidem sumitur pro ipso, in quo lites tractantur, loco *l. 2. & passim ff. Si quis caut. in Jud. sist. fact. non obtemp.* sicuti & vocabulum Jus sumitur pro Loco, ubi Jus redditur, *l. pen. ff. de J. & J.* Et Judicium, propriè loquendo, est, ubi saltem judicatur. Uti hodiè *Dresdæ Prætorium* die *Richter-Stube* à Judicio, i. e. *Commission-Stube* distat. Ibi Jus dicitur & pronunciat: *Sprechen wir vor Recht / Hic verò: Geben wir diesen Bescheid.* Quemadmodum apud Romanos in Prætorio vel in Jure Jus reddebant, i. e. Jus dictum applicabant & Decretum ferebant. In Judicio verò Judices seu Commissarii nostro tempore, judicabant & suam sententiam saltem exponebant. 2. denotat Discretionem. *l. cum Prator 12. §. 2. ff. de Judic.* ubi perpetuò furiosus & impubes dicuntur carere judicio h. e. discretionem seu mente. Sic etiam §. 4. *Inst. Quib. non est perm. fac. testam.* 3. Accipitur

pitur pro Iudicatione in l. 2. §. ult. ff. de Judic. 4. Pro Actione §. 4. Inst. de Off. Jud. l. sed §. 24. §. 1. ff. Fam. ercisc. l. heredes 25. §. 5. ff. eod. §. l. 1. ff. comm. Divid. 5. pro ultimâ voluntate l. si exheredatus 32. ff. de Inoff. Testam. l. 1. C. de SS. Eccl. l. 6. C. Fam. ercisc. 6. pro Condemnatione l. certum 6. in pr. ff. de Confess. l. un. C. eod. Ubi iudicatus pro condemnato dicitur, Sic usurpatur ab Apostolo 1. Cor. 11. Qui manducat & bibit indignè, iudicium i. e. condemnationem sibi manducat & bibit. c. timorem 25. Dist. 2. de consecr. 7. pro Sententia vel Decreto. c. personas 4. X. de Appellat. 8. pro legitimâ Caularum disceptatione tot. tit. ff. C. X. §. in 6. de Judic. Quâ ultimâ significatione & Nos vocabulum Iudicii accipimus.

IV. Restat adhuc in Definitione Nominali ultima pars nim. **Synonymia**, seu quomodo aliàs Iudicium significatu hoc posteriori nominetur. Et pauca admodum reperiuntur ejusdem in Jure cognomina. Præter vocabulum **JUS**, quatenus sumitur pro Jure, quod exercetur, uti sumitur in tit. de In Jus voc. Et in d. c. 10. X. de V. S. ubi Iudicium olim dictum est **Inquisitio**, Item, **Jurgium**. Germanicè dicitur **Bericht / Recht / Hader / Streit / Berrichtung aller Gerichts / Händel**. Hæc de Interpretatione Nominis.

V. Nunc ad rem ipsam, Definitionem scil. **Realem**, quæ, secundum *Calvinum tract. de Jdict.* fax & anima est totius tractationis, quâ rectius perceptâ, totum rectius percipitur negotium. Atque hic magna se offert Dd. contentio super legitimâ Iudicii Definitione. Adeo, ut *Duarenus in tit. ff. de Judic.* sub initium fateatur, se aliquando annum consumfisse integrum in Definitione & Divisionibus Iudicii explicandis. Sed tandem has nugas valere se jussisse, dicit, & per disceptationem Litigatorum apud Judicem, descripsit. Vid. *Marant. in spec. Aur. P. 2. per tot.* Nobis *Treutleriana* præ aliis arridet, quæ ita se habet: **Judicium est legitima rei controversæ inter litigantes apud Judicem disceptatio.** *Treutl. vol. 1. Disp. 12. th. 1.* vel, ut aliquantò clariùs mentem nostram exprimamus: **Judicium est Actuum Iudicialium Expeditio.** Vel, ut specialius describamus: **Est negotiorum voluntariæ Iudictionis expeditio, vel legitima rei controversæ inter litigantes apud Judicem Disceptatio, Cognitio, Definitio & Executio.**

A 3

VI. Hu-

VI. Hujus Definitionis legitimatio ut innotescat, examinabimus illam Logicè. Et cum omnis Definitio constare debeat Genere & Differentiâ, idcirco videbimus, an hæc requisita hic inveniuntur? Et omnino. 1. Enim Generis loco habet **Disceptionem**, habitò respectu ad Actus contentiosæ Jdictionis, quod vocabulum usurpat Cujac. optimus definiendi Artifex, & habetur etiam *in l. 3. C. de Judic.* Et quidem rectè, quia est Genus proximum in re definiendâ ponendum. Nam quando agimus contra alium, & ille nobis se opponit, aliud nihil agimus, quam ut causam disceptemus, & ejus Merita excutiamus, quæ à nobis litigantibus in diversas partes trahuntur. *Ilico Umm. in Disp. ad Process. Judic. l. 1. n. 3.* 2. Differentiam, quæ sumta est 1. à formâ, dum dicitur legitima i. e. quæ à Lege probatur & secundum Leges fit, tum quoad Merita, tum quoad stylum. *l. legitima 12. ff. de Pactis. l. 13. C. de Sent. & Interloc. omn. Judic.* 2. à Subjecto, quod sunt litigantes, hinc in Definit. dicitur: inter litigantes. Quæ verba neutiquam superflua sunt. Uti putat *Il. Umm.* nisi de Actibus Jdictionis voluntariæ velit intellecta. Quâ de causâ maluimus in genere Judicium describere per Expeditionem Actuum **Jdictionalium der Gerichts-Händel.** 3. Ab Objecto seu materiâ, quæ sunt Res controversæ. Naniqve nullum est judicium contentiosum, nisi in quo res controvertatur. Aliàs æquè in Judicium deducuntur & ibidem expediuntur ea, quæ ad Jdictionem voluntariam pertinent. Uti Constitutio Curatorum, Deposito testamentorum & alia.

VII. Tantùm de Definitione, post quam Originem, sive Causam Judiciorum impulsivam investigare, animi fert lubentia. Et hic iterum serra contentionis inter Dd. reciprocatur. *Maranta* enim Judicii originem Juri adscribit Naturali primævo & Divino, se fundando in expostulatione DEI cum primis nostris Parentibus in Paradiso. *Gen. c. 1. & 3.* Cui tamen contradicit *Ilico Ummius*, quòd hoc stare non possit, quia illo Jure omnia communia, & demùm ex Jure Gent. bella introducta, discretæ Gentes, Dominia distincta fuerint. *l. ex hoc Jure 5. ff. de J. & J.* In Judicium verò res certa deduci debet, quâ de disceptetur.

Hic



Hic autem illa non fuerit. E. neque Judicium esse potuerit. Sed Resp. Etsi illud MEUM & TUUM ibi nondum fuerit, aut de gl'ande legendâ, tritico, grano vel aliâ re, sive ex Domini, sive possessionis, sive etiam obligationis Jure actum: Tamen de facto illo adhuc pœnitendo, transgressione nimir. legis divinæ per Esu fructûs prohibiti in paradiso, fuit tractatum.

VIII. Illud quidem lubentes largimur, quòd talismodi Solennitates, uti hodiè in nostris Judiciis, præsertim in Foro Saxon. & Camera Imperiali, requiruntur, non adfuerint. Quid enim opus erat, quia DEUS, quem nihil latet, erat Judex, cum apud Nos Probationes, testium Depositiones, & id genus Processus Formalia ideò deposcantur, ut veritas seu Merita causæ, per ea eliciantur. *Sic enim teterrima necessitatis leges compulerunt, etiam in inordinatâ hominum contentione ordinem quærere, ne ex unâ contentione infinita orirentur.* dicente P. G. Tholosano Synt. Jur. Un. lib. 48. c. 1. n. 8. Quas Solennitates demum ex Jure Civili & Canon. Judicia acceperunt. Uti patet ex titulis ff. C. X. § 6. de Judic.

IX. Nos itaque cum Maranta statuimus, quòd Judicia Originem habuerint ex Jure Nat. primævo. Augmentum ex Jure Gentium. l. 2. pr. ff. de O. J. Sic cognitum fuit Judicium tempore Mosis. Deut. 24. ibi: *Non pervertes judicium advena & pupilla, &c.* Jerem. 22. *Facite judicium & justitiam.* Formam denique & Ordinem solennem ex Jure Civil. & Canon. uti jam dictum.

X. Devenimus nunc ad Divisionem. Summa autem Judiciorum divisio est, quòd alia sint Divina, quæ DEUS sine ministerio hominis constituit in hoc vel in futuro post obitum seculo. Alia humana, quæ per homines exercentur. Illa Theologis discutienda relinquimus. Ad quæ etiam nonnulli referunt Purgationem vulgarem, quæ fiebat per aquam bullientem & frigidam. per ferrum candens, per duellum & similia. §. *Si miles rusticum 2. Feud. de Pac. ten. & ejus violat. Gothofr. in not. ad h. §. lit. f. ibid. P. G. Tholos. Synt. J. lib. 47. c. 4. n. 4.* Quæ tamen, quia magis ex Dæmonis suggestionem, quàm ex DEI, quippe qui inde tentari videtur, voluntate oriuntur, nunc improbata sunt & prohibita.

cap. 1.

*cap. 1. 2. & 3. de purgat. vulg. c. 9. ne Clerici vel Monachi, &c. & c. 8. de Purg. Can. c. 7. & 20. caus. 2. q. 5. Nos h. l. solliciti sumus de Humanis. Quæ pro Causarum varietate, variè quoque dividuntur.*

XI. Et 1. à Causâ Efficiente, in Ecclesiastica & Secularia. Ecclesiastica sunt, quæ coram Judice Ecclesiastico de Personis, Causis & rebus Ecclesiasticis ventilantur. *tot. tit. C. de Episc. Audient. Secularia, quæ coram Judice Laico de personis & causis secularibus peraguntur. c. Etsi 4. X. de Judic. c. cum sit generale 8. X. de for. compet. Marant. part. 4. Dist. 11.*

XII. 2. à Formâ & Modo procedendi dividuntur in Ordinaria & Extraordinaria. *l. antepen. & ult. ff. de Negot. gest. Ordinaria, aliàs Plenaria dicta, sunt, in quibus Solennia Juris, ut libelli oblatio, litis contestatio &c. strictè observanda. l. 1. junct. Auth. offeratur C. de Litis Contest. Extraordinaria verò, Summaria aliàs dicta, ubi hæc Solennia quiescunt, & de simplici & plano, uti dicitur, proceditur. Clement. sepè 2. tit. de V. S. §. ult. Inst. de Interd. Olim quidem apud Romanos ordinarium erat, ubi non ipsemet Prætor Jus reddebat seu ad facti speciem sententiam prolatam applicabat, sed ubi, prout moris erat & ordinarium, alii partes suas committebat, & facultatem exponendi suam sententiam, certâ formulâ præscriptâ, concedebat. Quando verò ipsemet Jus dixit, uti in quibusdam iisque paucissimis causis saltem factum, Extraordinarium fuit Judicium habitum. Quem modum procedendi in Judiciis meritò Imperator Justinianus improbavit, adeò, ut etiamnum hodiè omnia Judicia in hoc significatu sint Extraordinaria. d. §. ult. Inst. de Interd. l. Actio 47. §. 1. ff. de Negot. gest. l. 178. ff. de V. S.*

XIII. 3. Denique à Materia aliud est Civile, in quo principaliter agitur ad commodum privatum *l. locatio 9. §. 5. ff. de Publican. & Vettigal. l. licet. 24. in pr. & §. 1. ff. de Procur. l. quid si. 17. §. 18. ff. de Edil. Ed. l. fin. ff. de Furt. l. prætor ait. 2. §. 1. ff. vi bon. rapt. aliud Criminale, in quo principaliter ad commodum publicum, ex delicto tamen seu ad vindictam publicam agitur.*

Quibus

Quibus de in libro Nigro & Rubro. ff. i. e. in lib. 47. & 48. tractatur.  
Hic observandum, quod in foro Sax. nullum Judicium habeatur  
pro verè criminali, nisi ubi poena corporis infligenda venit.  
LandX. lib. 1. Art. 53. §. Ihr sollt wissen. Ibi: Wenn die Klage an  
den Leib oder an die Haut gehet / oder zu Haut und zu Haar / &c. aliud  
Mixtum, quod de utroqve scil. Criminali & Civili participat,  
ut quando poena partim Fisco, partim verò Parti venit applicanda.  
Maranta P. 4. Dist. 1. & l. 1. §. 1. ff. de Calumnia.

XIV. Civile Judicium rursus 1. est vel Reale, vel Per-  
sonale, vel Mixtum. §. 1. cum seqq. §. Quadam. Inst. de Act. vel  
paganicum vel militare, vel allodiale, vel Feudale.  
Reale à naturâ petitionis institutæ iterum est 1. Universale,  
quando universū Jus, quod plura sub se habet vel corpora vel Jura,  
petitur, ut est petitio hereditatis l. 18. §. ult. ff. de hered. pet. Et pos-  
sessoria hereditatis petitio l. fin. ff. de poss. her. pet. Et Fideicom-  
missaria heredit. petit. tit. de Fideic. her. pet. 2. Particulare.  
tot. tit. Si pars her. pet. 3. Singulare, idqve vel generale,  
in quo Genus petitur, vel in quo de uno Jure, vel dominio aut ob-  
ligatione multas species continente agitur, uti in mixt. Judic. Fin.  
Regund. &c. & in Action. Negot. gest., pro Socio, & Tutelæ.  
tot. tit. Fin. Reg. &c. & l. 38. in pr. ff. pro Soc. vel Speciale, in quo  
res Singularis seu una tantum Species vindicatur vel condicitur  
per Actiones personales. l. 1. ff. de R. V. & l. 38. ff. pro Soc.

XV. Civile Reale Judicium 2. dividitur in Petitorium  
& Possessorium. Petitorium est, in quo primariò de pro-  
prietate seu dominio vel quasi rei alicujus agitur, ut quando Rei  
vindictio. l. 18. §. fin. ff. de vi & vi arm. c. 5. X. de Caus. poss. & pro-  
priet. Actio Publiciana l. 7. §. 3. ff. de Public. & in rem act. & simi-  
lis in Judicium deducitur. Possessorium, in quo de mera disce-  
ptatur possessione tot. tit. ff. & C. de Acquir. vel ret. poss. Et hoc  
ipsum triplex est, nimir. Adipiscendæ, Retinendæ & Re-  
cuperandæ possessionis. Et est vel de Rebus vel de Per-  
sonis, vel Summariissimum vel Summarium ordinarium.

B

tot. tit.



*tot. tit. Si de moment. poss. controvert.* Deniq; **Judicia Personalia** sunt, quando de Statu & conditione hominis alicui **Qvæstio** movetur, **Qvæ Præjudicia** vel præjudiciales lites nominantur, & tractantur in *lib. ff. 40.* Sicuti **Realia** à *lib. 5. usq; ad 40.* Et **Possessoria** in *41. 42. & 43.*

**XVI.** Visis **Judicii Civilis** Subdivisionibus, videbimus etiam Subdivisionem **Judicii Criminalis**, quod vel **publicum** est vel **privatum**, **Publicum**, quo publica **Crimina** *tot. tit. Inst. & ff. de publ. Jud.* **Privatum**, quo delicta privata *tot. tit. ff. de priv. del. vindicantur.* Illud rursus vel **Capitale** est vel **Non-Capitale**, §. **Publicorum** *2. Inst. de Pub. Jud. l. 2. ff. eod.* **Capitale**, quando **Mors naturalis** vel **Civilis** irroganda venit. **Non-Capitale**, quando **Exilium** vel **Coërcitio** quædam corporis, vel infamia cum damno pecuniario. *d. §. 2. Inst. de Pub. Jud. & l. 2. ff. eod. l. 6. §. fin. ff. de pœnis.* Jure nostro Sax. nullum **Judicium Capitale** dici videtur, nisi amputatione Capitis aut alio supplicii ultimi genere facinorosi puniuntur & vitâ naturali privantur. *Dan. Moller. ad Constit. Sax. 1. part. 4.* Hoc nim. **privatum** est vel **ordinarium**, quod propriam **Civilem** habet actionem & pœnam certam, ei tantum, cujus ob rem privatam interest, competentem. Quo de in *lib. 47. à tit. 1. usq; ad 11. de Extraord. crim.* vel **Extraordinarium**, quod animadversionem extraordinariam & arbitrariam imponit à *tit. 11. usq; ad pen. d. lib.* vel **populare**, ubi quilibet de populo agere potest *tit. fin. d. lib. 47.* Et exercentur **Judicia Criminalia** vel per **Modum Inquisitionis** generalis aut specialis, vel **ordinarium Processum** **Durch peinliche Anfläger**/ vel his deficientibus, per **Procuratores Fisci**, **Durch Fiscäle.**

**XVII.** Ultimò quoque **Judicia** dividuntur ab **Ordine**, Quo quædam sunt **Summa & Immediata**, Quædam **Mediata** seu **Inferiora**, Hactenus de **Divisione.**

**XVIII.** **Causa** porrò **Judicii Efficiens** venit perlustranda, quæ partim est **Remota**, ut **Malitia hominum**, partim **propinqua**,

pingua, ut Personæ Judicium constituentes, quæ vel principales & necessariae, vel minus principales & accessoriae. Illæ, sine quibus Judicium consistere regulariter non potest, sunt **Judex, Actor & Reus.** *l. Julianus 17. ff. de Judic. l. inter litigantes 62. ff. eod. l. properandum 13. §. 1. & seq. C. de Judic. c. forus 10. vers. in omni negotio X. de V. S.* Hæ verò sunt, quæ reliquis in Judicio accedunt, & sine quibus Judicium nihilominus consistit, etiam si non adsint. Quibus de omnibus ac singulis pauca quædam annectere, fert animus.

XIX. Initium a. meritò facimus à Prætoře seu **Judice**, qui est persona, quæ Judicio præest, & illud moderatur tum in **Judicialibus contentiosis**, tum voluntariis, secundum **Jus Scriptum & Non-Scriptum**, tam quoad Merita Causæ, quam Processualia. *l. 74. ff. de Judic. l. 1. ff. de Rejud. c. forus 10. X. de V. S. pr. Inst. de offic. Jud. l. rem non novam 14. C. de Judic.* Estque vel **Ordinarius**, vel **Pedaneus** s. **Extraordinarius**, quem nos hodiè **Commissarium** appellamus.

XX. Quia verò hodiè **Judices Romani Imperii antiqui** multis passibus distant à **Judicibus moderni Imperii Romano-Germanici**. Idcirco è re nostrâ erit, dispicere de hisce differentiis aliquantò intimius. Est autem hodiè in nostro Romano-Germanico Imperio magna differentia inter **Dominum Judicitionis**, & inter **Judicem Judicitionem moderantem** sive inter **den Gerichts-Herrn** & inter **den Richter**. Dominus Judicii non in ipso Judicio præsidet, sed Judicium & Judicitionem suam exercet per **Judices & Scabinos** / durch **Richter und Schöppen**. Et hi possunt esse vel **Rustici**, eorumque officium cum morte expirat. Cum econtrâ illi possint esse **foeminae æquæ ac masculi**, æquæ **minores, Impuberes, imò infantes**, mente capti, & **furiosi ac Majores & Seniores**. Et illorum potestas morte non extinguitur, sed est in **heredes cujuscunqve conditionis transitoria**. Quia hodiè **Concessio Judicitionis non amplius est personalis**, sed **promercialis & venalis**. De **Jure Romano Antiquo** tempore **novæ Jurisprudentiæ** **Judicia** exercebantur per **Pratores in urbe**, tum **peregrinos**,

B 2

tum

tum urbicos. Per Proconsules in provinciis Civitatis Romæ.  
Per Præsides in provinciis Imperatoris. Et hi omnes supra se ha-  
buerunt suos præfectos tum urbi tum prætoriorum. Qui omnes  
deinde vel ordinariè vel extraordinariè Constituti, vel ipsimet  
Judicia exercuerunt, vel in casu necessitatis aliis suas vices de-  
mandarunt. Nec quicquam in suos heredes transtulerunt *tot. tit.  
in lib. 1. ff. à tit. 9. § C. lib. 1.* Quæ de causâ illi, qui non semper Juri-  
dicundo præerant, Jus dicentes Extraordinarii appellati. Illi  
verò, qui semper Judicia moderati, Ordinarii sunt nominati.  
Hinc Præfectus vigilum inter Judices Extraordinarios refertur,  
quia saltem tempore necessitatis fuit constitutus, ejusdemque of-  
ficium non fuit perpetuum sed temporaneum. Alio quoque sensu  
ordinarii salutati sunt illi, qui sunt competentes, *Ordentliche  
Richter.*

**XXI.** Ordinarius autem Judex est, qui habet imperium,  
Jdictionem & plenissimam Causarum cognitionem, vel suo Jure,  
vel à Principe, vel ab alio concessam per *l. more majorum 5. ff. de  
Judic. l. cum Prator 12. §. 1. l. pen. ff. de Jud. l. omnes 12. C. eod.* Extraor-  
dinarius econtra, qui habet Jdictionem nec suo Jure, nec à Prin-  
cipe, &c. nec universalem sed limitatam & præscriptam, cujus fines  
diligenter custodire tenetur. *d. l. pen. ff. de Judic. c. super eo 5. c. super  
27. X. de offic. §. potest. Jud. deleg.*

**XXII.** Et hic constituitur vel ex commissione Judicis  
ordinarii, tum Ecclesiastici tum Politici, ut Delegatus, vel ele-  
ctione partium, ut Arbiter, vel à Jure, ut Arbitrator. *c. sanè  
olim 11. c. cum olim 33. X. de off. §. potest. Jud. deleg. l. 3. §. 1. l. 11. §. 1.  
l. 13. §. 2. ff. de Receptis, qui arb. rec. ut sent. dec.* Delegatus quidem  
tum à Judice Ecclesiastico, ut hodiè Consistoriales, tum à  
Politico, ut Aulæ Electorum seu Principum Secularium,  
& Curia Provinciales, Quorum uterq; non proprio nomine,  
sed ut Deputati als *Verordnete der Consistorien, Ober- und Hoff-  
Gerichte* sententias proferunt, nihilque proprii habent. Cum e-  
contra Serenissimus Elect. Sax. causas tam Ecclesiasticas quam  
Politicas suo nomine proprio, uti: *Wir von Gottes Gnaden/ &c.  
Erken-*

**Ertemen** / ordinariè in supremo Appellat. Judicio per suos Con-  
filiarios Appellat. expediri curet. Arbiter est, qui de communi  
partium consensu eligitur, & in quem sub certâ pœnâ, quam pars  
à laudo recedens, parti adversæ præstare tenetur, compromitti  
solet. *Nov. 82. c. 11. §. 1. Auth. Decernit. C. de Recept. arbit.* Arbitra-  
tor Juris, uti sunt Calculatores, Taxatores & Æstimatores,  
quique arbitria iniqua ad æquitatem reducere ex bono & æquo  
debent.

**XXIII.** Consideratâ Judiciûm differentiâ, consistente se-  
cundùm modernam Judiciorum faciem, in Domino Judicii, & Ju-  
dice ab illo constituto, facile indè dijudicare possumus. Quinam  
possint Judices constituere, & quinam Judices constitui  
possint. Item, Quisnam Dominus Judicii fieri & à quo Judicium  
accipere queat. Nimirum Princeps, qui est fons Idictionis,  
concedit Judicia exercendi facultatem pro lubitu, cui velit, idque  
vel precibus vel precio. Ita tamen, ut is, cui concessum est  
Judicium illud, per legitimos Judices, Assesores & Notarios seu  
Actuarios peritos exercent. Econtra verò Judices Criminales so-  
lummodò Causas Criminales audiant & noscant, Acta autem vel  
ad Facultatem Juridicam vel in Scabinatum pro Sententiis feren-  
dis transmittant. Quod & in Causis Civilibus, maximè gravio-  
ribus facere tenentur, præsertim unâ vel alterâ parte illud petente.  
Hinc toto die videmus, Dominos Judiciorum die Gerichts- Herren  
suos subditos etiam in proprio Judicio convenire & reciprocè  
conveniri ab iisdem posse. Aliàs de Jure Rom. magna quoque  
erat differentia inter Judicem & inter Prætorem seu Præsidem  
aut Proconsulem. Prætores & Proconsules constituebantur à  
Senatu, Præsides & Præfecti prætor. & Urbi ab Impera-  
tore. Judices autem à Prætoribus, Præsilibus, Procon-  
sulibus & omnibus aliis, quibus Jus dandi Judices vel Jure Scripto  
vel Non-Scripto competebar. *l. cum Prætor 12. ff. de Judic.* Hâc tamen  
cautione, ne inhabiles eligerent, è quorû numero sunt alii Naturâ,  
alii Lege, alii Moribus.

XXIV. Naturâ inhabiles sunt Judices 1. Surdus, qui nihil prorsus, vel valdè difficulter exaudit. *d. l. 12. ff. de Judic.* Debet enim Judex Contendentium Jura audire, & de iis per auditum cognitis pronunciare. Hinc & litis Contestatio, Causæ Audientia nominatur *l. nulli 10. C. de Judic.* Et sæpè expedit, Litigantes interrogare *l. 9. C. eod. c. Judicantem 11. caus. 30. q. 5.* Sic *Arcadius Jctus in l. de minore 10. §. 5. ff. de quest.* Plurimum, ait, in excutiendâ veritate, etiam vox ipsa, & cognitionis subtilis diligentia adfert. Nam & ex sermone, & ex eo, quâ quis constantiâ, quâ trepidatione quid diceret, vel cujus æstimationis quisque in suâ Civitate est, quædam ad illuminandam veritatem in lucem emergunt. 2. Mutus, *d. l. 12. ff. de Judic.* Expedit enim Judiciis, sæpè Interrogationes fieri. *l. 9. C. eod. & t. t. ff. de Interrog.* Debent & Judices propriâ voce sententias quasdam proferre, uti patet *ex l. 1. & ult. C. de Sent. ex brev. recit.* Mutum autem volumus intellectum eum, qui ἀσύντως, i. e. sine significatione, non verò qui ἀσαφώς seu obscure loquitur. *l. 9. ff. de Edil. Ed. §. 3. Inst. Quib. non est perm. fac. test. P. G. Tholos. Synt. Jur. lib. 47. c. 9.* 3. Perpetuò furiosus, *d. l. 12. ff. de Jud.* quia mente & judicio caret, ejusque nulla est voluntas. *§. 8. Inst. de Inut. Stipul. l. 40. ff. de R. J.* 4. Impubes, Quia judicare est Officium Civile & publicum *l. 78. ff. de Re jud.* à quo, uti Ulp. sentit, remoti sunt impuberes. *l. 2. ff. de R. J. §. Minor 18. ann. l. Quidam 57. ff. de Re jud. nisi vel à Principe, vel ex partiû consensu datus sit. Dd. in d. l. 57. ff. de Re jud.* Sed de Cœco gravis admodum est Quæstio: An is judicandi officio possit fungi? Et hic quidam verbis textûs in *l. 6. ff. de Judic.* nitentes, Affirmativam simpliciter amplectuntur, rationesque addunt. 1. Quòd textus generaliter loquatur, nec ullam limitationem recipiat. 2. Quòd Judicandi munus consilio magis, quàm corpore expleatur. *l. 2. §. corporis ff. de Vacat. & excusat. mun.* Et cœcitas mentis non oculorum judicium impediatur. *Zanger. de Except. P. 2. c. 4. Donell. Enucl. lib. 17. c. 24. lit. N. Wesenb. in Parat. ad ff. de Judic. n. 10. Treutl. vol. 1. Diss. 12. th. 7. lit. C.* Quidam Negativam defendunt, dicentes, quòd multa sint, quæ oculis Judicum subjici debeant, antequam judicentur, ut si de finibus agatur, de tormentis seu Quæstione REI habenda, de Scripturarum collatione & aliis. *P. G. Tholos.*



*Tholos. S. J. U. lib. 47. c. 10. Accurs. & vulgò Dd. in l. Cæcus. 6. de Jud.*  
Quidam denique distinguunt inter Cœcitatē præsentem  
& supervenientem. Illa impediatur, quò minus quis Judex  
constitui possit. *l. 1. §. 5. ff. de Postul.* Hæc verò Judicandi munus  
non finiat, sed Judex pristinam dignitatem retineat. Cum quibus  
& Nos facimus. Atque per hanc *l. 1. §. 1. ff. de Post.* declarat Ulpia-  
nus *d. legem 6. de Jud.*

XXV. Lege impeditur Judex esse 1. Qui Senatu igno-  
minia causa motus est. *d. l. 12. §. 2. ff. de Jud. & l. 2. ff. de Se-  
nat.* Nisi restitutus fuerit. *d. l. 2 ff. eod. vel tempus condemnatio-  
nis præterlapsum sit. l. 3. §. 1. ff. de Decur. l. 28. ff. de Postul. l. 3. C. Ex  
quibus caus. inf. irrog. 2. Infamis, arg l. 2. C. de Dignit. l. 1. C. de In-  
fam. l. 12. §. 2. ff. de Judic.* Et hoc ob vitium vel turpitudinem suam  
vel aliud factum à lege improbatum, ob quod ejus Status & Con-  
ditio apud bonos viros est gravata. *c. infamis 3. q. 7. Zanger. P. 2.  
c. 4. n. 49. de Except. 3. Legum imperitus l. 14. C. de Judic. l. 13. C.  
de Sent. & Interl. omn. Jud.* Non n. par est, ut ille Judicis habeat nomē,  
qui legum est rudis, & in reb9 agendis nullū habet ūsum, nullum ex-  
perimentum. *Nov. 82 in præfat.* Nisi res ita comparata sit, ut ejus Ex-  
perientiam habeat. *l. 17. C. de Judic. l. 6. & ult. C. de Jdiēt. l. ult. C. de  
Re milit.* Quod exemplis docet *Val. Max. lib. 8. c. 14.* Cū suæ artis  
unusquisque & Autor & disputator sit optimus. 4. Clericus,  
*l. 23. C. de Testam. l. pen. in pr. C. de Vacat. & Excusat. muner.* In cau-  
sis tamen secularibus tantum, non etiam in Ecclesiasticis, in qui-  
bus Imperatores Clericis Audientiam concesserunt. *t. t. C. de Episc.  
Audient.* 5. Mercator & vilissimarum artium ministerio vacans.  
*l. 3. C. de Commerc. & mercat. l. milites C. de Locat. l. 6. C. de Dignit.*  
Est enim munus judicandi dignitas. *P. G. Tholos. p. m. 964* Et nulla  
major gloria, quàm præesse judiciis, per quæ servatur hominum  
Societas. *l. 12. C. de Dignit. Schönborn. Pol. 3. c. 3.* 6. Pauper, qui vix  
de suo victum sustinere potest. *l. 6. ff. de Muner. & Honor.* Quamvis  
melius fiat, si potiùs vita, Existimatio, & Eruditio, quàm Patrimo-  
nium in Judice consideretur. *l. 5. pr. ff. de re milit. l. 11. §. 1. C. de Ad-  
vocat. divers. Jud.*

XXV. Moribus denique vetatur Judex esse 1. Mulier  
*l. 12. §. 2. ff. de Judic. l. 2. ff. de R. J. c. Mulierum 33. q. 5.* tum quòd  
Mulie-

Mulierum maxima sit inconstantia & fragilitas. *l. un. C. de Rapt. virg.* ter siquidem in hora mutantur. tum etiam, quod sit contra mulierum pudicitiam, Judiciis asfidere, Consiliis & Concionibus interesse & talia, quæ virorum sunt, peragere. *l. maritus C. de Procur. l. 2. C. de iis, qui ven. et. impet. c. mulieres de Judic. in 6. Zanger. de Except. P. 2. c. 4.* Deinde & 2. *Servus d. l. 12. §. 2 ff. de Judic. l. 32. de R. J.*

XXVII. Debet autem Judex in administrandâ Justitiâ per omnia se gerere candidè, sincerè & incorruptè, nec aliter judicare, quàm Legibus, Constitutionibus, Moribus, Statutis, & legitimâ & rationabili consuetudine proditum est. *pr. Inst. de offic. Jud.* Sic, antequàm Partes ad ordinariam Cognitionem seu Juris Processum remittat, prius amicabilem compositionem tentare, eâque deficiente, easdem ad formam Compromissi persvadere debet. *c. 1. sub fin. X. de mut. petit. c. 15. X. de Simon. c. 5. de Off. Jud. ordin. 6.* Et si eas ad horum neutrum adducere queat, iisdem, causâ summariter cognitâ, viam Juris aperiat, & æqualiter ac indifferenter, tam pauperi quàm diviti justitiam administret, nec personarum habeat respectum. *c. 11. X. de for. comp. c. 12. de R. J. in 6.* Quæ omnia comprobavit Sereniss. Saxon. Elect. JOH. GEORG. I. pientiss. record. *in N. G. D. c. 1. von dem Richterl. Ampt. Tantum de Judice.* Plura de ipsius persona, officio & aliis requisitis addere, nostri non est instituti. Properamus itaque ad Actorem.

XXVIII. Qui ab agendo dictus, est is, qui Actionem intendit, vel in Judicio à parte adversâ aliquid vel petit, vel condicit, vel persequitur. *pr. Inst. de Act. §. 7. Inst. de Interd. l. 62. ff. de Judic. l. 51. ff. de O. & A. c. 10. vers. Accusator. X. de V. S.* Lingvâ nostrâ vernaculâ dicitur in Civilibus Kläger. In Criminalibus verò Accusator Ankläger. *l. 10. l. pen. ff. de Publ. Jud. l. 3. §. 4. ff. de Accus. & Inscript.* Et quia regulariter in omni Judicio requiritur, ut unus Disceptantium sit Actor, alter Reus. *l. 62. ff. de Judic.* Ideò in Judiciis Fam. ercisc. Comm. divid. & Fin. Reg. In quibus aliàs uterque Litigantium & petit! & defendit, atque sic Actorem & Reum agit, is, qui prius provocavit, pro Actore habetur. *l. in tribus 13. l. 29. ff. de Judic. l. 2. §. 1. Comm. div.* Si verò contingat, ut partes simul ad Judicium provocent, Sorteres decidenda ac dirimenda venit. *Dd. per l. 14. ff. de Judic.*

XXIX. Cx

XXIX. Cæterùm regularitèr quidè omnibus est concessum agere, sed nò omnes sua desideria in personâ ei, qui Iuditioni præest, exponere possunt. Sic Surdi, muti, prodigi, furiosi, mente capti, Infantes, Minores, Impuberes, libertini æqvè ac Ingenui, sive Cives Romani sive peregrini, Ægrotantes, Mulieres, Banniti, Excommunicati, sive sui, sive alieni Juris, sive Clerici, sive Laici, Actores esse possunt, *der Klägere Stelle halten / modo habeant Actiones, Præjudicia, Interdicta vel Persecutiones tum ex factis licitis, tum illicitis.* Sed non possunt ipsimet personaliter suas Actiones proponere, sed tenentur comparere, partim per Curatores, & Tutores, partim per Mandatarios, Partim suorum Dominorum & Patrum præscitu. Hinc in Sententiis non apponitur nomen Comparentis, sed nomen illius, qui pro alio se sistit. hoc modo: Curatoren, Tutoren, N. N. i. e. *der Unmündigen / Blöden Klägere an einem.* In foro Saxon. Fœminæ majorenes neqve civiliter neqve criminaliter absq; Curatore litis dem *Kriegischen Vormunde* vel in genere vel ad litem specialiter constituto, exceptis causis Matrimonialibus & Spiritualibus conscientias cõcernentibus, agere possunt. *Land R. lib. 1. Art. 44. & 46. lib. 2. Art. 63. Weichb. Art. 26. Novell. Elect. Aug part. 2. Const. 15. in verb. In allen Rechl. Processen / sie halten gleich Klägerin oder Beslagter statt. Nisi illustres personæ sint, quæ Regalia & Jurisdictionalia habent. Magnific. Dn. Carpz. Patronus ac Promotor meus maximus in J. F. P. 2. def. 9. ad hanc. Const. & N. G. D. cap. 8. Wie die Weibs-Personen für Gerichte handeln mögen.*

XXX. E personis Judicii principalibus salutandus restat **REUS**, à Re, quæ ab ipso petitur, dictus, *c. forus 10. X. de V. S. Cic. lib. 2. de orat.* est is, qui in Iudicio convenitur, *l. cum tacitum ff. de Probat. vel lite pulsatur l. 8. C. de Probat.* Qui etiam Fugiens vocatur *in l. n. §. 1. C. de Judic.* Germanicè in causâ Civili vocatur *Beslagter / Item Antwortter.* In Criminalibus *Peinlich Beslagter / Item Angeflagter.*

XXXI. Possunt autem omnes sive privatæ sive publicæ personæ, sive Singulares, sive Corpora aut Universitates REI fieri, tum propter Res, tum propter personas, tum propter possessiones, tum ex factis licitis, tum illicitis, etsi Infantes, Pupilli, furiosi, mente capti, muti, surdi, minores, filii. mares vel fœminæ sint. Ita tamen, ut si ex factis licitis conveniantur, non admittantur, nisi per Procuratores, Defensores, Curatores, Syndicos, Tutores compareant.

C

pareant.

pareant. Ex factis autem illicitis & quidem Criminalibus, non nisi in persona se sistant. De Magistratu dubitant quidam & distinguunt inter causas Criminales & Civiles, Item, an adhuc sit in Magistratu nec ne, prout videre est apud *Il. Umm. Disp. ad Process. Jud. l. 1. lb. 5 n. 32.* Sed apud Nos nullum est dubium. Illud peculiare est, quod durante Magistratu non possit conveniri ratione factorum tempore Magisterii commissorum. Sed teneatur commorari in eo loco post depositionem per 50. dies. *tot. tit. C. Ut omn. Jud. tam Civiles quam militares post administ. depof. 50. dies in Civitat. vel certis locis perman.* Quod & Rectores Magnifici inclutæ hujus Philuræ, publicè tempore commendationis, juratò promittere tenentur. Quin & ipsemet Imperator & Principes Imperii, vel coram Palatino Electore. *A. B. tit. 5.* vel in Camera Imperiali, vel coram suis Consiliariis sive Judice Curia, Hof-Gerichte/aut Austregis, prout consuetudine receptum est, conveniri possunt. *Mynf. Cent. 2. Obs. 1. 2. & 8. Reink. de R. S. lib. 1. cl. 4. cap. 5. & lib. 2. cl. 2. c. 16. Ordin. Cur. Prov. tit. Wer für das Ober-Hofgerichte (quod hic Lipsiæ) mag geladen werden.*

XXXII. Atque hæc de necessariis Judiciis personis; Jam se sistunt Accessoriae, quæ ad Judicium commodius expediendum requiruntur. Hæcque respiciunt tum Judicem, eumque vel Consiliis adjuvando, ut Assessores, unde dicuntur Consilarii Judicum *l. 5. ff. de Assessorib. l. 3. 10. 11. 12. 13. C. eod.* vel Judicio inserviando. ut 1. Actuarii, qui aliàs vocantur Tabelliones, *pr. Inst. de Emt. & vend. l. 9. §. 4. ff. de pæn. l. 14. §. 3. C. de SS. Eccl. Novell. 44. Tabellarii s. Tabularii. l. 11. C. Qui pot. in pig. hab. l. ult. §. 2. C. de Jur. delib. Notarii c. statutum 11. §. Notarium de Rescript. in 6. Quibus de eruditè Ampliff. Dn. Lic. Andr. Zahn/ Judic. Provinc. in infer. Lusat. Cancellarius Digniff. Patronus meus de venerandus in Disp. Inaug. de Notariis.* In Cancellariis Principum hodiè nominantur Secretarii. Nostrâ vernaculâ, **Gerichts-Secretarien/ Stadt-Muster-Gericht-Schreiber.** In Camera Imperiali sunt alii Scribe Judicii, alii Secretarii, alii Ingrossistæ, alii Copistæ. *Ord. Cam. P. 1. tit. 31. 59. & 79.* In Consistoriis & Curis Provincial. Sax. Elect. vocantur etiam Proto-Notarii. *R. B. D. tit. 2. von den Gerichts-Secretarien/ Proto-Notarien/ & c. 2.* Apparitores s. Judiciorum

dicioꝝ nuncii, qv̄ ea, qv̄e in iudicio fieri debent, ex mandato  
iudicis, litigantibus, aliisque denunciant. *l. 33 § 5. C. de Episcop. &  
Cler. l. 1. C. de Sport. tot. tit. C. de Apparit.* Et hi vocantur etiam  
Viatores. *§ 24. Inst. de Act. l. ult. ff. de iudic. Executores. d. § 24. Inst.  
de Act. tot. tit. C. de Execut.* Vulgò nominantur Pedelli s. Cursores,  
Germanicè **Berichts-Pedellen / Berichts-Fronen / Thür-  
Knechte / Berichts-Hof-Berichts-Boten.** Inde Magister  
nunciorum, **Boten-Meister / der die Supplicationes und Brieffe von  
den Boten annehmen / und die Boten wieder abfertigen muß.** *Ordin.  
Cam. P. 1. tit. 32. 34. & seqq. Ordin. Judic. Curial. Lips. An. 1549. tit.  
von Boten.*

XXXIII. Tūm Partes (scil. respiciunt Personæ accessoriæ)  
iisdem Patrocinando, ut Advocati, qv̄i Causæ merita pro-  
ponunt, discutunt. Unde verisimè ab officio alio nomine nomi-  
nantur Causarum Patroni, Causidici. *l. 2. C. de Advoc. l. 7. pr. C.  
de Postul. Item Togati. l. 3. & 5. C. de Advocat. qv̄od togâ anicti  
causam in foro orarent. Il. Umm. Diss. ad Process. Jud. 2. tb. 4.  
Postulatores tot. tit. ff. & C. de Postul. Veri vel Calumniatores  
tot. tit. ff. de Calumniat. qv̄os vulgus Rabulas forenses vocitat.  
Procuratores **Anwâlde.** Qv̄i aliena negotia mandatu Domi-  
norum singularium in iudiciis agunt vel defendunt *pr. Inst. de iis per  
qv̄os agere poss. l. 1. ff. de Procur.* Et ab his iterum constituti Substi-  
tuti **Asser-Anwâlde.** Qv̄i verò mandatu Universitatū in iudi-  
cium veniunt & representant vel Actorem vel Reum, illi dicuntur  
Syndici. *l. 1. & tot. tit. ff. Quod cuiusq. Univers nom.* Qv̄iq; ab illis vel  
aliis personis, qv̄æ non sunt Domini litis i. e. vel Klägere vel Be-  
flagte / uti Tutores, Curatores, rursus constituuntur, Actores *§. fin.  
Inst. de Curat.* appellantur. Defensores qv̄i sine mandatu nomine  
alieno iudicem interpellant, & vel Actoris vel Rei partibus fun-  
guntur. *tot. tit. ff. de Procur. & Defens. Thurst. S. P. D. cap. 9.* De-  
niqve alii Ministri, qv̄i in Cancellariis præstò sunt, ut **Canzley-  
Diener / Aufwärter / Canzley Jungen / Ostiarii & Ca-  
lefactores.***

XXXIV. Visis Personis, sequitur Materia, qv̄a de in iudi-  
ciis solet disceptari. Agitur autē vel de Rebus, vel de Personis,

vel de Possessionibus, tūm ex factis licitis, tūm illicitis promanantibus, tūm in primā, tūm in secundā vel ultimā Instantiā, vel ad contentiosam vel ad voluntariam Ictionem. Sed hic observandum, Restantūm præsentes & certas, non quæ post in obligationem veniunt, in iudicium deduci. *l. 35. ff. de Judic.* Item, quod post acceptum iudicium accidit, id novā Instantiā opus habere. *l. 23. ff. de Judic.*

XXXV. Perlustratā quoque Materiā, necessarium est, ut de iudicii Formā dicamus. Quæ in duobus potissimum consistit. **1. In ordine Cognitionum, 2. In Solennitate & Partibus Processūs.**

XXXVI. Quantum ad ordinem Cognitionum attinet, sciendum, **1.** Quod si de statu Quæstio incidat, prius de statu, quam de Negotio principali cognoscendum. *l. 1. C. de Ord. Jud.* **2.** Possessorium iudicium ante Petitorium discutiendum. *l. Si de vi 37. ff. de Judic. l. 13. C. de R. V. c. cum dilectus 2. X. de Ord. cognit.* **3.** Criminalem causam Civili anteponendam. *l. 3. l. ult. C. de Ord. Jud.* Et hæc est ratio, ob quam in benè constitutis iudiciis hæc verba: **Gezfangene/Clepsydris & Campanulis inscribi soleant.** *Magnif. Dn. Preses, Præceptor ac Patronus meus aternum venerandus in Lect. privat.* Item Peregrinorum & Extraneorum præ causis Indigenarum.

XXXVII. Quoad Solennitatem Processūs, notandum, **I.** quod circa *Hegung der Jahr- und Peinlichen Berichte* iudex in tribunali sedens & manu baculum tenens quibusdam verbis solennibus utatur. Circa Executionem *Cespes excidatur, gleba effodiatur, &c.* Circa *Auffgeb- oder Aufhebung des Gerichts* non raro *Sca-mna evertantur, mit Umbstossung der Stüle in Brechung des Stabs/* vel baculus Domino iudicii reddatur. Et in quibusdam Actibus voluntariæ Ictionis certi ritus observentur. **II.** Quod totum iudicium in tria diducatur Capita. Quorum **I.** Continet Principia & veluti præludia litis, ut Amica Interpellatio, Supplicatio pro Citationem cum oblatione libelli, Citatio, Contumacia ob emansionem, Libelli repetitio, juramentum Calumniæ, Reconventio, Auctoris laudatio, Auctoris Nominatio, Interrogatio, Satisfactio pro Reconventionem & expensis, Exceptio tum dilatoria tum peremptoria, & Litis contestatio tum eventualis tum simplex. **II.** Dirigitur ad prin-

ad principale negotium & continet Dilationem, Confessionem, Articulos probatorios ac Reprobatorios, Testium productionem, Interrogatoria, Instrumentorum productionem, Juramentum supplementarium vel purgatorium, Actorum Disputationem, Publicationem Attestatorum, incidentem Accusationem, Repulsam testium, Torturam, Conclusionem, Allegationem seu Disputationem. III. Denique in se habet Sententiam, quæ finem imponit Judicio *l. 55. ff. de Rejud. Maranta P. 6. Tholos. lib. 48. c. 1.* Item Executionem, i. e. Secundum Decretum, Cessionem bonorum, Immissionem, Separationem, Subhastationem, Taxationem, Adjudicationem.

XXXVIII. Ad iudicii formam etiam adnumerari videntur **Tempus & Locus**, quibus ea debent exerceri. Et **Tempus** quidem duplex est, aliud, quò iudicia ventilari debent, quod est diurnum, non nocturnum. *Nov. 82. c. 3. & 24. de Offic. & Potestate Judic. deleg.* Et quidem in diebus fastis non feriatis *l. 5. & t. t. ff. de Fer.* Aliud verò est tempus, quò finiri & absolvi iudicia debent; De quo sciendum, quòd Causæ Criminales intra biennium à lite contestatâ. Pecuniaria verò intra Triennium (exceptis tamen causis Fiscalibus, & quæ ad publicas functiones pertinent) coram quocunque iudice finiri debeant. Quod ut fiat, in iudiciis magis, quam Litigatoribus est positum. *l. 13. pr. & §. 1. C. de Judic.* Et si id non fiat, pœnæ certæ propositæ sunt iis, quorum culpâ iudicium fuit retardatum. Iudici quidem *d. l. 13. §. 8. Actori §. 2. Reo §. 3. Advocatis §. 9. Tutoribus & Curatoribus §. ult. ibid.*

XXXIX. Locum quod concernit, debet is 1. intra territorium jus dicentis esse. *l. ult. ff. de Jctione.* Quod omninò necesse est in Causis Jctionis contentiosæ non voluntariæ. *l. 2. ff. de Off. Proc. 2. Tutus. c. 47. X. de Appellat. 3. Publicus & pro tribunali.* Quod accipiendum de iis iudiciis, quæ causæ cognitionem ad Decretum requirunt. *l. 6. C. de Sent. & Interloc. l. 9. ff. de Off. Proc. l. 4. §. 1. ff. de Interrogat. 4. Opportunus, iudicium enim non quovis loco suscipiendum. c. fin. & t. t. X. de for. compet.*

XL. Jam Finem iudiciorum contemplantur. Qui est, ut Quisque præsidium Juris sui habeat publicum. *l. 4. C. de his, qui ad Eccles. & c.* atque Jus suum iudicio consequatur publico. *§. 1. Inst. de Act. non suo privato. l. 3. C. de Judic.* Ut lites

finiantur autoritate Magistratus. *l. 1. ff. de Re jud. c. 1. cod. in 6. l. pro-  
perandum 11. C. de Judic. l. un. C. Quid lic. un. l. 13. C. de Judic. Nec  
quisquam sibi ipsi permittere valeat ultionem. d. l. 13. de Judic. Et  
denique ut oppressis liceat legitimum impetrare præsidium. l. 4. C.  
de his & c. Wesenbec. Parat. ff. ad hunc tit.*

**XLI.** Effectus iudicii sunt 1. quòd reddatur in Invitum. *l. 83. § 1. ff. de V. O.* 2. Ut inducat obligationem. *l. 3. § 8. ff. de Pecul.* 3. perpetuet Actiones. *l. un. C. Ex delict. Defunct.* 4. Interrumpat Præscriptiones. *l. ult. C. de Præscript.* 5. Moræ purgationem & pœnitentiam excludat. *l. Si Insulam, ubi Jason & Dd. ff. de V. O.* 6. Constituat in malâ fide possessorem, antecedente tamen condemnatione. *l. 25 § 5. ff. de Petit. hered. Auth. Mala fidei. l. nemo C. de Præscript. long. temp.* 7. & postremò, nullius Jus deterius faciat sed firmitus. *l. 17. l. 88. ff. de R. J. l. 29. ff. de Novat. Wesenbec. in Parat. C. n. 10.*

**XLII.** Adjacentia iudiciorum sunt 1. Sportulæ & Suntuus *tot. tit. C. de Sport. & Sumt.* Sportulæ autem per Meton. Continent. pro Content. Donaria vel pecuniæ Sportulis seu loculis contentæ vocantur. 2. Acta *c. qvoniam 11. X. de Probat.* 3. Scripturæ *l. 11 §. cum autem. l. 22. C. de Judic. l. 2. C. de Juram. propter Calumn. dand. tot. tit. C. de Sent. ex brev. rec.*

**XLIII.** Consequentia iudiciorum primarum Instantiarum sunt 1. Appellatio. *l. 14. C. de Appell.* 2. Inhibitio. *c. Romana 3. §. Si verò, cum seqq. ubi Gl. de Appell. in 6.* 3. Supplicatio. *Recess. Imp. Spirens. An. 1600.* 4. Revisio. *Ord. Cam P. 3. tit. 51. & 53.* 5. Syndicatus. *Ord. Cam. P. 3. tit. 53.* 6. Leuteratio vel Oberleuteratio. *Novell. Elect. August. 19. P. 1.* 7. Res Judicata. *Nov. 23. c. Et sancimus 1.* 8. Nullitatum deductio. 9. Restitutio in Integr. contra Judicata & deniq; 10. Executio, quæ plerumqve est secundæ vel ultimæ Instantiæ Consequens.

**XLIV.** Affinia sunt Compromissa, Mediationes & Interpositiones, & amicabiles Compositiones.

**XLV.** Contraria iudiciis sunt, quæ vel in totum ipsa subvertunt, quod fit per Non-usum secundum Modum & tempus. Item per Præscriptionem, propter Delictum & Feloniam, Item propter Captivitatem & hostiles Civitatum occupationes, da die Gerichte eingezogen werden. Vel in tantum pro aliquâ parte, uti sunt  
Incom-



Incompetentia *l. pen. & ult. C. de Except.* Exceptio litis pendentis. *c. proposuisti 19. X. de for. comp.* Illegitimitas Litigatorum, uti vocant *l. licet, ubi Da. C. de Proc.* Ineptitudo libelli. *c. examinata u. X. de Judic.* Omisio formæ & legitimi Processus. *l. 4. ubi Baldus C. de Sent.* Feriæ, vindemiæ, Messis. *tot. tit. de Feriis.* & Similia.

XLVI. His etiam Modi, quibus Judicia solvuntur, annumerandi veniunt. Et sunt 1. Sententia *l. 1. ff. de Re jud.* 2. Mors Judicis *l. 49. l. 60. ff. de Judic.* 3. Morbus fonticus *l. 46. ff. de Jud.* 4. Mors Rei *tot. tit. ff. Si Reus vel Accusator.* 5. Prohibitio Superioris *l. Judicium 58. ff. de Judic.* 6. Partium à lite discessus *l. 4. C. de Pact.* 7. Transactio. *l. 22. ff. de Donat. int. vir. & uxor.* 8. Rei petitiæ Solutio vel Satisfactio. *§. ult. Inst. de perpet. & temp. act. l. 7. de Procur. l. 21. ff. de Judic.* Non verò solvit Judicium Judicis mutatio. *l. 57. ff. de Judic.*

Et hæc sunt, quæ de hæc utilissimâ, frequentissimâque Judiciorum materiâ, Disputationis loco conscribere Nobis placuerunt. B. L. æqui bonique consulat & faveat. DEO autem, à quo omnia,

*Sit Laus, Honor & Gloria.*

## A D D I T I O N A L E S.

I. Iustus malus sub Sole non datur. Frivolum proinde est, vulgus quod gannit: *Juristen seynd böse Christen.*

II. Terminus Solutionis Jur. Sax. debitori concedendus *Sächs. Frist / Summam continet æquitatem.*

III. Judex oppidanus & paganus in Iustione exercendâ, non Quantitate sed Qualitate differunt. E. non rectè imploratur Officium Judicis Illustrissimum, Nobilissimum. Quia non datur Ignobile aut Rusticum, licet per Rusticos, Sutores & Sartores exerceatur Judicium.

IV. Injustè incarceratus, qui præstitit Securitatem, *Der den Urfrieden geschworen hat / nihilominus Injuriarum agere potest.* per *l. Nec Magistratibus 32. ff. de Injur. & fam. lib. c. Indultum de R. J. in 6.*

## T E R M I N U S.

**J**udicii maculas, Borman, abstergere tentas  
Res certè magnò Nomine digna tuò.

**QVIRINUS Schacher D.**  
PRÆSES gratulando  
& optando.

---

**C**ùm de Judiciis limatà differis arte &  
Judiciò, rumpit fatidica ora Themis:  
Quàm benè judiciis præeris, ait, indeq; laudum  
Unanimi referes præmia judiciò!

Romanus Teller, Phil. M.

---

**F**ers de Judiciis Judicium Tuum:  
Docti de Te igitur Judicium Viri  
Haud vulgare ferent: (gratulor hinc Tibi.)  
Faxit, quæso, DEUS, judicio hoc Tuæ  
Quondam Judicium crescere Patriæ.

Joh. Jacobus ab Hartig.

---

**F**reund / dem mich dieser Ort und angenehme Stunden  
Herz und Gemüthe nach verpflichtet und verbunden!  
In welchen unsern Sinn des großen Schachers Geist  
Wohl ausgeschärffet hat / und völlig abgesselt.  
Freund! sag ich / allhier weil dir unsre Lehrer zeigen  
Astræen hohen Thron nunmehr zu ersteigen!  
Solt meine Feder zwar zu deinem Dienste stehn  
Und billich dieses mahl mit Ehr entgegen gehn!  
Damit sie aber nicht durch Minderung werd' verfehret /  
So sey mir stillern Mund hiermit von mir beehret.  
Indessen wünsche ich die angenehme Zeit /  
Darin du haben mögst gewünschte Fröligkeit.

Johann Christoph Hake von Budissin.



Leipzig, Diss., 1660/61

ULB Halle 3  
005 021 650



SB

VD77







Farbkarte #13

B.I.G.

IRIDICA

1660, 7/18

CHACHERI,

DICENTE,

ATE NOBILISSIMI

ILLUSTRISSIMA

DEMIA

*Consultissimi*

ni, Electoral. Saxon.

simi, Consistorii Eccles.

Juridicæ Facultat.

notoris sui æviternum

ni submittit

/ VVitteberg. Sax.

m Petrino

LX.

IANIS.

26.

